Quelle: http://manuscripta.at/?ID=917
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



cum dignus vocari filius
tuus: fac me sicut unum
ex mercenariis. Et surgens venit ad patrem suum.
Cum autem adhuc longe esset: vidit illum pater ipsius
et misericordia motus est et accurrens cecidit super collum
eius et osculatus est eum.
Dixitque ei filius. Pater
peccavi in celum et coram te.
iam non sum dignus
vocari filius tuus. Di
xit autem pater ad servos suos. Cito proferte stolam
primam et induite illum et
date anulum in manu eius et
et calciamenta in pedes.
Et adducite vitulum saginatum et occidite: et manducemus et epulemur
quia hic filius meus mortuus erat et revixit perierat et inventus est. Et ce
perunt epulari. Erat autem
filius eius senior in agro
Et cum veniret et appropinquaret domui: audivit symphoniam et chorum et vocavit unum de servis et interrogavit que hec essent.
Ille autem dixit illi. Frater tuus
venit: et occidit pater tuus
vitulum saginatum quia salvum illum recepit. Indignatus
est autem et nolebat introire. Pater ergo illius egressus
cepit rogare illum. At
ille respondens: dixit patri suo.
Ecce tot annis servio tibi
et nunquam mandatum tuum
preterivi et nunquam dedisti mihi
hedum ut cum amicis
meis epularer. Sed postquam
filius tuus hic qui devoravit substantiam suam cum meretricibus venit: occidisti illi
vitulum saginatum. At ipse
dixit illi. Fili tu semper
mecum es et omnia mea
tua sunt. Epulari autem et
gaudere oportebat. quia
frater tuus hic mortuus
erat et revixit: perierat